



MAthias ex honesta familia natus, & in bonis
 literis à teneris annis optimè institutus fuit.
 Hic cum prima literarum fundamenta in patria fe-
 liciter iecisset, hinc inde ad studiorum gymnasia se
 contulit, atq; diligenter linguis & liberalibus arti-
 bus operam dedit. Postea quoq; legum studia am-
 plexus, in ijs adeò profecit, ut multorum acclama-
 tione suprema insignia Doctorum cōsequeretur.
 Accedebat & morum innocentia, & magna animi
 prudentia. Id cum Georgius Palatinus Simeranus
 princeps clarissimus intellexisset, hunc Mathiam
 ad se uocauit, atq; suum Cancellarium constituit.
 Eam prouinciã cum is summa diligentia optimè
 administraret, etiam Præfectus Simeranus electus est. Verùm Mathias hisce
 officijs nequaquam elatior factus, ut à uerò uirtutis tramite declinaret, sed ma-
 gna animi moderatione cuncta expediuit. Cum suo etiam principe quandoq;
 ad Imperij comitia peruenit, & multis uirtutibus omnibus innotuit. id quod
 etiam 1562 Franckoforti, cum Maximilianus Cæsar decerneretur, appa-
 ruit. Vnde Mathias meritò hoc loco bonis Germaniæ uiris adnu-
 merari debuit. Anon.